







16

DE 1777

E. 27, num. 7.  
21

# COMMUNIONE BONORUM

INTER  
CONIUGES LEGITIMA MUTATO DOMI-  
CILIO NON SUBLATA

P. 401

DISPUTAT  
ET  
PRAELECTIONES SUAS PROPEDIEM INCIPIENDAS  
INDICIT

JOANNES FRIDERICUS GILDEMEISTER,

J. V. D. & in Acad. quae Teutoburgi ad Rhenum est  
P. P. O.




Teutoburgi ad Rhenum,  
apud Fratres Helwing MDCCLXXVII.











Quum anno MDCCLXXV specimen legitimum de commu-  
nitione bonorum inter coniuges, maxime ex legibus Brema-  
nis conscriberem, propter angustiores temporis limi-  
tes viros doctos, qui in eadem re atque illi adfinibus desuda-  
runt, nec nosse omnes, nec eorum quos noram librorum  
omnium copiam habere, nec quos habebam, legere omnes  
potui. Quam ob rem iam tunc constitueram, quondam, si  
in patriam urbem reuersus forem, omnes, quotquot sunt,  
subficiuis temporibus euoluere, quo facilius libellum meum non  
modo emendatum sed etiam commentatione de communione  
bonorum coniugis superstitis ac liberorum (quam pene absolui,  
adauctum denuo in publicum edere possem. At enimvero  
sensim ego pedetentimque causis aliorum in iudiciis orandis  
distineri, & ex mansuetiorum Musarum amplexu, obtorto  
quasi, vt aiunt, collo in forum rapi: iam vero delato mihi  
iuris



4

❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁

iuris in hac vniuersitate literaria publice docendi munere, aliis rebus, (verum iucundissimis) impediri. Quo effectum, vt haectenus eo peruenire non potuerim, vt nouam libri mei editionem instituire operae pretium videatur. Bene enim memini illud, quod praeclare dixit **JOH. SCALIGER**: *quamquam magna praestare non possumus, tamen cauendum nobis sedulo, ne quid inepte faciamus* (Epist. II 141.) Itaque, quum ad auditorium meum propediem aperiendum solennius inuitari commilitones deceat, singularem aliquam quaestionem, non solum iureconsultorum dissensibus celebrem, verum & magna utilitate in foris pollentem, iterum, nam in *Specimine* de ea quoque differui, (§. XXIII) ventilare, breuique commentario illustrare libet.

Dixi igitur in *Specimine*, *communione legitima* etiam postquam aliud domicilium petiuerunt, (ac vbi eam coierunt) aut alio modo prioris legibus eximuntur coniuges, inter eos subsistere: nisi 1) desponsatos aut coniuges inter conuenit, vt mutato olim domicilio bona eorum siue plane separentur, siue ex norma tantum legis illius, secundum quam contraxerunt hanc societatem, communia esse desinant: aut 2) in nouo domicilio siue communionem omnem siue eam, quae haectenus inter coniuges fuerat, speciem leges prohibent, aut alia communitatis forma, aliaue bonorum coniugalium ratio lege praecipua munitur. Argumenta vero sententiae meae, & quae reposui aduersariis, hoc loco repetenda non sunt, quum id solum modo agam, vt respondeam *commentationi*, quam diu desideraueram, *de iuribus ex mutato domicilio maxime intuitu coniugum resultantibus*, a **JACOBO HENRICO BALEKIO**, *F. V. D. & Prof. publ. ord. Rostocchensi*, viro perquam docto, eoque celeberrimo, conscriptae, *Rostochiae & Vismariae A. MDCLV* secundum editae. Quod dum molior, *viri illustris* senten-



❖ ❖ ❖

3

sententiam impugnaturus, ac proinde multa, quae pro ea dixit, negaturus, vix esse arbitror, cur veniam ab eo petam, quum non nisi eruendae stabiliendaeque veritatis gratia, vti & ipse, haec in publicum exponam, & meas tantum opiniones literis mandem. Etenim

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis,  
Quam plurimis, & minime multos laedere,

in his ego nomen meum profiteor. Ne autem nimis longa euadat haec disputatio, strictim breuiterque, sed ea, quae virum bonum decet, fide ac diligentia, dicta *viri illustris* eorumque, quos oppugnauit, referam, measque subiungam dubitationes, posthabitis aliis scriptoribus, quorum opera omnia non sine magna difficultate, ac ne aegre quidem, conferre possent.

In *Sectionis I. §. IV* docuit *V. C.* eos, qui magistratus alicuius iurisdictioni subiecti sunt, iuribus eiusdem obligari, „nisi per conuentiones & transactiones aliud fuerit specialiter „cautum.“ Quum vero (*§. VI*) bona sequantur personam eiusque conditionem & qualitatem, ex eaque censeri & iudicari debeant, quumque vxor fortiatu forum mariti (*§. V*) concludit, (*§. VI*) „iura & obligationes, quae per matrimonium ratione bonorum inducuntur, diiudicanda esse secundum leges & statuta domicilii mariti.“ Nec interesse ait, an bona vxoris alibi sita sint, nec ne: nisi forte statutum rei sitae dispositionem liberam prohibeat (*§. VII*.) Mutato autem domicilio, quippe quo iura mutantur, nullam amplius in regula habendam esse rationem iurium prioris domicilii (*§. XII*.) Prouocat in *§. XIII* ad *ius Lubec. II. 2. 10.* ratione communionis bonorum coniugalis argumentum exhibens mihi aduersum, id quod ipse in *Specim. (§. XXIV. n. K.)* confessus sum;

A 3





sum: quid ni enim faterer, quum lex illa tantum ad *Lubecenses*,  
& qui eorum iure utuntur, pertineat?

His praemissis propius ad rem accedit *V. III. (§. XV)*  
& contendit: mutato domicilio induci mutationem iurium  
inter coniuges. „Constat enim, ait, quod mutato domicilio  
„mutetur forum, & quod mutato foro mutantur iura & statu-  
„ta, ita, ut non amplius ad LL. prioris, sed tantum postero-  
„ris domicili sit respiciendum, ac secundum has qualitas &  
„status personae, cuius conditionem per ea, quae §. VI dicta,  
„quoque sequuntur bona, diiudicandus (§. XII) quae omnia  
„per deducta principia iuris consentanea sunt, ideoque illis  
„tamdiu erit insistendum, donec probatum fuerit, ratione  
„coniugum in iure occurrere exceptionem.“ — Quam esse  
exceptionem negat.

Mihi vero inprimis distinguenda videtur *communio b. c.*  
*legitima* ab *aliis coniugum iuribus*. Quod enim ad haec attinet,  
regula sit: mutari iura. Sin vero de communitate quaestio est,  
illis, quae proposuit *V. III.* nequaquam perficitur, ut commu-  
nionem legitimam, mutato a quo nata est domicilio, finiri pu-  
tem. Ait enim (§. IV) eum qui magistratus alicuius iurisdic-  
tioni subest, iuribus eiusdem obligari, *nisi per conventiones &*  
*transactiones aliud fuerit specialiter cautum*. Ideoque cuncta,  
quae haec excipiunt, *salua hac exceptione*, dedimus: at haec  
exceptio omissa est in §. XV, verbis *generalibus* conscripta,  
Quare non esse arbitror, cur a sententia mea recedam, quum  
communio legitima, id quod in *Specim.* affatim demonstraui,  
*racio pacto* eoque in perpetuum valituro nitatur. Quod si  
quis in controuersiam vocaret, animaduertat rogo, et si ex re-  
gula mutationem domicili comitatur iurium, hoc est *legum*  
permutatio, non tamen, quae in priori domicilio legitime  
*facta*



facta sunt, pro infectis habenda esse. Jam vero per communionem coniugalem constitutam vtriusque coniugi adquisitionem est ius, siue usus, siue proprietatis communis; neque domicilii mutationem per sese iuris illius adimendi causam esse dixeris. Atque hinc patere censeo, secundum nostrum, si, quod *Sando* debemus, nostrum dicere licet, quod in *Spec. (§. XXIV p. 88)* explicauimus, inconuulsam manere argumentum.

Sed vna cum *BALEKIO* ulterius progrediamur. A § *XVI* inde certamen sibi cum illis instituit doctoribus, qui eam defendunt, quam ego sequutus sum, sententiam. A quibus, tametsi rem eorum ipsam non possum non probare, nonnunquam tamen, seruitutis osor, ingenue desciscam. Sequentem vero in modum horum adlerta retulit: (§. *XVI*) „Putant, inquit, quod coniuges in contrahendo“ (matrimonio, dicere videtur) „id amplectantur, quod statuit statutum loci, in quo matrimonium contrahunt, & consuetudo in contractum influat, pactio autem ante legitime inita solo migrationis facto non reuocetur, non magis, quam quacuis aliae conuentiones nuda domicilii translatione non mutantur.“ Quibus ita respondet. *V. Ill. (§. XVII.)* α) Pactio illa initio matrimonii inita fundatur consensu tacito. Nihil autem tam naturale est, quam eo genere quidque dissolui, quo colligatum est. *L. 35. π. de R. Jur.* Ergo ad mutandam illam sufficiunt tacita renunciatio & declaratio. Hinc quum facti, „quod consensus tacitus desiderat, vocabulum tam late accipiatur, ut & merum silentium cum scientia coniunctum adeoque etiam omisio alicuius facti pro facto habeatur, sicuti contractus tacitus est conuentio a lege vel scripta vel non scripta inter scientes & dum non contradicunt vere tacite consentientes inducta producens obligationem efficacem, ideoque ex illo silentio & omisita contradictione non modo pactis accessoria, sed & contractus „prin-



„principalis exsurgit, & coniuges sint scientes, vel facile sal-  
 „tem scire valentes ac non nisi ignorantia supina nescientes  
 „statuta loci, in quo domicilium fouent, sicque fiat, vt mu-  
 „tatio domicilii tacitam comprobationem legum & statutorum  
 „noui domicilii inuoluat, ex eaque tacita comprobatione sta-  
 „tuta reliquorum locorum vires perdant; adparet hoc obmotum  
 „sententiam nostram minime infringere.“ — *in spec. p. 83.*

¶ *Coniuges omni vtique tempore, ideoque etiam dum nouum  
 sibi adoptant domicilium dissoluere posse communionem bono-  
 rum, haud negandum esse existimo. Si uterque mutato do-  
 micilio eam dirimi uolet; dirimetur. Si minus; salua erit  
 & incorrupta. Quid multa? Leges domicilii vterioris, (rara  
 autem Lex est hanc societatem prohibens; & si est, in illam  
 incidit exceptionem secundam, quam & in *Specim. §. XXIV.  
 p. 86* & in hoc libello *pag. 4* proposui) leges igitur nolentem  
 non cogunt, vt communionem coniugalem tollat. Minime  
 vero vi legum anteriorum ipso iure dirumpitur.*

¶ *At putas coniugem vtrumque ipsa migratione renunciare  
 communioni ex superioribus legibus inita. Quum leges ple-  
 rumque, ut paullo ante dixi, communitatem distrahere non co-  
 gant coniuges, extrinsecus haec vis ad leges illas accedat ne-  
 cesse est: partes inter conueniat, inquam, siue sponsaliorum  
 die, siue post contractum coniugium, vt, si aliquando do-  
 mum reliquerint, bonorum societas dissoluatur. Quam qui  
 allegat exceptionem probare debet, (quo facto locus est ex-  
 ceptioni nostrae priori *pag. 6* conf. *Spec. p. 86*) neque enim  
 praesumi potest, eandem interuenisse quin potius praesumen-  
 dam esse contrariam voluntatem, ob ea quae in *spec. p. 89. sq.*  
 aduersus *TAFINGERI V. C.* obiectionem tertiam proposui,  
 audacter contendere licet.*

— prae-



— praecipue (sic enim pergit V. C.) quum  $\beta$  causa  
iurium, quae inter coniuges initio matrimonii inducta fue-  
runt, posita fuerit in domicilio, quod tunc obtinuit. Jam  
vero domicilium illud prius, simul aliquis sedem suam reli-  
quit & a loco prioris domicilii decesserit animo & inten-  
tione illud deserendi, statim omnino extinctum ac finitum  
censetur. Ergo quia non potest plus esse in effectu, quam in  
caussa; clarum esse iudico, quod extincto & cessante priori  
domicilio quoque iura coniugum, quae per LL. & statuta  
istius domicilii inducta fuerunt, pro extinctis omnino ha-  
benda sint.“

Minime vero; dicam enim ut res est. Domicilium, at-  
que ipsa adeo lex, quae communionem bonorum matrimonio  
adnectit, non est, nisi *occasionalis*, (ut hoc verbo a philoso-  
phis recepto utar) communionis marito cum vxore interceden-  
tis *caussa*: hoc est: *occafio caussae*. Causa autem conuentio  
partium est (*Spec. §. XI.*) Sit vero lex illa efficiens causa:  
num sublata lege communicio tollitur? Vtique, aiunt, nam  
cessante causa cessat effectus. (Compara *Section. II. §. XXVIII.*)  
Veneror hoc metaphysicorum axioma: quis est enim tam stoli-  
dus, ut neget? Verum & recte intelligi debet, & rite adpli-  
cari. Itaque si dicas, ubi nunquam causa fuit, effectum esse  
non potest; clarius loquar: omne effectum causam aliquando  
habuit, — nihil est quod moneam. At vero tam falsum est,  
quam quod falsissimum, illud: dato effecto, causam, quae  
id olim produxit, *ad hoc* esse oportet. Miramur enim veterum  
statuarum formam; statuarij manus igni aut terra consum-  
ta est.

Neque hunc in modum ratiocinari licet: Causa commu-  
nionis legitimae proxima sita quidem est in coniugum *consensu*,  
B sed





sed in eiusmodi consensu, qui singulis in momentis, dum consistit matrimonium, ad legem accedit ac sic deum efficit, ut coniugum bona sint communia. Jam vero hunc consensum mutato domicilio statim cessare, ac proinde communionem finire necesse est. Sic, inquam, ratiocinari non potes; nam eiusmodi esse, ut dixi, consensum nego ac pernego. Sufficit enim, plane ut in aliis conventionibus, semel, nimirum quum contrahebant matrimonium, consensum interuenisse.

Secundo loco obiiciunt aduersarii *Viri III.* „domicilii mutationem nusquam numerari inter modos dissoluendae vel „introducendae societatis“ ( §. XVI. ) At, inquit, ( §. XVIII ) „α) Communio b. c. & inde resultans societas est iure Romano „incognita, ideoque fieri non potest; ut de illa in hoc iure „recepto aliquid inueniatur.“ Concedo. Sed quod *omnis* societatis est, de quaui etiam specie societatis dicendum, etsi a iure Romano ignorata, nisi specialis aliqua ratio exceptionem producit. Quae an sit exceptio in hac coniugali bonorum societate, de eo disputamus. Pergit *V. C.* „β) Ea, de quibus „nihil speciatim dispositum reperitur, haud statim reijci possunt,“ id quod libenter dabo. „Praelertim quum id, de „quo in praesenti quaestio est, ex praestructis iuris principiis „per demonstrata fluat, & sufficere queat illud, ut in iure sanctum sit, quod simul aliquis sibi domicilium constituit legibus loci subiectus sit.“ Conferas, *B. L.*, quae supra pag. 6. ad §. XV. disserui. Denique ait *V. doct.* γ) in statutis Germaniae omnino talia inueniri, ex quibus inferatur, quod vult. „Est nimirum indubitatum, quod separatio instituenda sit effectus communionis. Necessitas separationis vero per solam „migrationem inducta in statutis reperitur, prouti ex articulo „X. L. II. T. 3. §. Lubec. patescit. Constat itaque, talia statuta, qualia Voernus, Lauterbachius aliique DD. desiderarunt, „haud



„haud prorsus deficere.“ De his vero nihil habeo dicere, quum de iis locis quaestio esse nequit, vbi legibus res decisa est.

Venimus ad *WEYERUM*. „§. XVI) Statutum, ait „*W.*, secundi domicilii non operatur irresistibiliter, sed contingenter, dum coniugibus quandocunque libertatem & facultatem pactorum dotalium relinquit, num bona statuto „subiicere, an ex eo eximere velint.“ Anne sint statuta, quae operentur irresistibiliter docebit *V. III. in Sect. III.* Sint licet. Namque mihi iam prospexi exceptionem proponendo secundam. (pag. 6.) „Ast posito,“ sunt verba *BALEKII*, „quod „nunquam operentur irresistibiliter, an tunc sententia mea „fringitur? Minime. Exinde enim nihil aliud sequitur, quam „hoc, vt si coniuges per pacta dotalia iuribus, quibus alias per „noui domicilii institutionem tacite subiiciuntur, derogare „vult, illud fieri queat.“ Nec mihi esse aliquid *WEYERIANA* haec videntur. „Forum“ (addit satis inepte *WEYER*) „praeueniens facit filere praeuentum, & ex duabus causis celerior „praeoccupat.“ Praeuentioem non esse, respondet *BALEKIIUS*, nisi vtrique foro adhuc competat iurisdictio. Denique *WEYER*, non praesumi dicit mutationem voluntatis; quod quamuis in regula fundatum esse concedat *BALEKIIUS*, elidi tamen putat praesumptionibus specialibus, idque hac in re fieri, quoniam mutatio domicilii iurium mutationem secum coniunctam habet. Verum enimvero iura mutantur, si conuentio non „absit. (Sect. I. §. IV.) Praesumi autem propter domicilii mutationem nequit, voluisse coniuges dissolui societatem bonorum. Etenim inita est respectu matrimonii, nequaquam domicilii ratione, id quod in spec. (§ IX & XVIII) docui, & vel ex eo satis intelligi potest, quod aliqui a societate, cuius confortes fortuito coniuges sunt, nulla in re differret.



Ex his itaque elucere arbitror, *Virum Ill.* neutiquam probabilem reddidisse sententiam suam, nec argumenta aduersariorum diluiffe praecipua. Quamuis autem nostrae partis viri quidam docti scripsisse nonnulla videas, quae ego nec scribere, nec defendere ausim, salua tamen res est; quippe, quod haud raro fieri, quis est, quem fugiat? optima saepe caussa, ne dicam ab ineptis hominibus, inepto certe fulcitur argumento.

Praeter ea, de quibus hactenus, alia, ratione vxoris duntaxat, pro nostra sententia maxime a *PUFENDORFIO V. Perill.* proposita in medium adfert *V. Ill.* atque examinat (*S. I. §. XX. sqq.*). Quae quidem sine iniuria a me praeteriri posse vel ideo videntur, quod de iure dotium, non de Communione b. c. loquitur *PUFENDORFIUS*. Sed, quia eadem de communitate a quibusdam dicuntur, ac ne quis me in hac disputatione alicuius momenti rem omisisse vel suspicetur, pauca de his adiiciam.

Argumenta *PUFENDORFII* (*Obs. iur. T. II. Obs. CXXI. §. 2.*) & doctorum ab eo productorum in hos duo locos coegit *BALEKIUS* (*§. XX.*) 1) Leges non permittunt, vt inuito ius suum detrahatur. Mulier autem, etsi non vult, maritum vbique debet sequi; ideoque ius suum ipsi inuitae adimitur, si tollitur adoptato nouo domicilio. 2) Minime dicendum est, ius creditorum mutato forte domicilio deterius fieri, & idem quoque ad iura vxorum adplicandum est.

Ita vero argumento *priori* occurrit *V. C. (§. XXI.)*  
 „Eo ipso, dum absque contradictione & reservatione iurium  
 „prioris domicilii cum marito mutat vxor, tacite legibus &  
 „statu.



„statutis prioris domicilii renunciat & statutis noui domicilii  
 „se subiicit, prouti haec omnia §. XVII pluribus deduxi ac  
 „comprobauit. Tacitum vero contentum cum expresse tam in  
 „ineunda quam finienda communione b. c. eandem habere vim  
 „probat ZERRANIUS.“ — „Omiffa autem ab vxore referua-  
 „tione — minime dicendum est, quod inuita ipsa mutatio iu-  
 „rium facta fuerit; etenim ubi adest consensus, ibi non lo-  
 „cum habet notio inuiti, & quamuis vxor postea dixerit,  
 „ipsam mutato domicilio talem animum — non habuisse, il-  
 „lud tamen tunc nihil efficere potest, quippe quum propositum  
 „in mente retentum nil operetur.“

Equidem parui facio argumentum primum, quum nihil  
 impedit, quo minus actu alterius *suo iure utentis*, ideoque li-  
 cito, quasi casu ius alterius minuatur, coarctetur, atque adeo  
 prorsus adimatur. Sed quae respondit BALEKIUS, nequa-  
 quam sufficient ad refellendum ista. Quid enim opus est re-  
 seruare, quae, licet non referuata, non intereunt? Porro sibi  
 ipsi contradicit V. C. Quid enim, si dissensum verbis declarat  
 vxor domicilium mutans? Non finietur communio, etsi ma-  
 ritus eam dirimi vult? Si hoc concedas, quo iure sententiam  
 Viri III. veritati consentaneam esse dicas?

De posteriore ita existimat: (§. XXII.) α) Mulierem vi  
 L. 65. n. de iudiciis exigere dotem debere illic, ubi maritus do-  
 micilium habuit. „Exactio vero dotis, ait, regulariter non  
 „prius habet locum, quam matrimonium fuerit finitum, ideo-  
 „que restitutio non erit facienda in primo sed secundo seu vlti-  
 „mo domicilio, quod tempore finiti matrimonii existit.  
 „Quoties itaque de vxoris iure quaesito ratione dotis exigendae  
 „quaestio exurgit, toties illa diiudicanda est secundum LL. &  
 „statuta vltimi domicilii.“





Ad communionem bonorum coniugalem haec pertinere non videntur: (fateri enim necesse est, me non proflus perspiciere, quid sibi velint:) attamen nec *PUFENDORFIO* iis satisfactum esse arbitror. Equidem si ipsi *Viro Perillustri* respondere me oporteret, vxoris iura non eadem cum iuribus creditorum norma metienda esse dicerem, quoniam creditrix non est, nec inde quid sequi amplius, quam illud, vt omne aes alienum ante mutatum domicilium ratione communitatis communiter contractum, ab vtroque coniuge aequè solvendum sit. Quo concesso non sequitur, vt communitio continuetur, quoniam ne id quidem, vt creditores post sublatam hanc coniugum societatem cum singulis coniugibus contrahentes communes habeant debitores coniuges.

β) Vxorem iuri quaesito renunciare posse ait *BALEKIUS*: mutationem vero domicilii renunciationem iurium prioris domicilii secum ferre. — Verum hoc probandum erat, nec ex anterioribus liquet. Reliqua huc non pertinent, quum ipse ego *PUFENDORFIO* minime adfentior.

§. XXIII continet aliud contra sententiam meam: quare haud praetereundum duco.

„Fac, ait *V. C.*, coniuges prole iam ditatos sese conferre „ex ciuitate Rostochiensis, alio, vbi nulla bonorum communitio, „sed ius ciuile vel diuersum viget; fac porro, tempore mutati „domi-





„domicilii coniuges illos nullis debitis obaeratos fuisse; fac ve-  
„ro, in nouo domicilio, vbi ius ciuile viget, tantum aes alie-  
„num conflatum esse stante matrimonio, vt mariti bona ad ex-  
„soluenda debita haud sufficiant, an vxor nunc ad hoc aes alie-  
„num in vltimo domicilio contractum ex bonis suis exsoluen-  
„dum obligata est? Si vxor, pergit *V. C.*, intuitu bonorum  
„suorum simpliciter secundum iura domicilii prioris diiudican-  
„da sit, certe condemnanda esset, quia iure Rostochiensis com-  
„municatio aeris alieni, praesertim cum tempore mutati domi-  
„cilii iam prole ditatum fuerit, obtinuit. Illa autem decisio  
„falsa esset.“

Sic enim ad principia redimus quammaxime dubia, atque  
ipsa ea de quibus lis est. Neque quod in priori instantia species  
a *PUFENDORFIO* exhibita secundum *BALEKII* opinionem  
decisa est, me sollicitat. Namque de communione b. c. legiti-  
ma per mutationem domicilii *dirimenda* quaestio non fuit, sed  
potius de *constituenda*. Quae a *J.* inde *XXIV* refutare studet  
*V. Cl.* mea non sunt, nec defendendo mea faciam.

\* \* \*

*Vos iam adloquor, commilitones dilectissimi, maxime le-  
gitimae scientiae studiosi.* Ne, quae reliqua adhuc est cir-  
culi semestris pars, recitationum mearum vacua sit, duo *Vobis*

ca





ea qua par est obseruantia offero. Publice docebo *ius publi-*  
*cum Romanum* duce C. C. HOFACKERO V. C. qui *iuris Roma-*  
*ni institutiones methodo systematica adornatas* Gotingae A.  
 MDCCLXXIII edidit. *Privatim* commentabor in J. S. PUT-  
 TERI. V. Perill. libellum, cui titulus est: *Neuer Versuch*  
*einer jurist. Encyclopaedie und Methodologie.* Quibus praele-  
 ctionibus frequenter interesse velitis, etiam Vos atque etiam  
 rogo. Valete. Scr. Teutoburgi ad Rhen. A. MDCCLXXVII.  
 ipsis Cal. Jan.



\* \* \*

Vos iam ad id quod, commentationis dicitur, miteme le-  
 gitime spectare sinit. Ne, donec reliqua ad huc est et  
 est temeraria pars, recitationem meam vacuam, sed



Duisburg, Diss., 1729/81(1)


ULB Halle

004 527 070


3











16


DE 1777 21

# COMMUNIONE BONORUM

INTER  
CONIUGES LEGITIMA MUTATO DOMI-  
CILIO NON SUBLATA

P. 401

DISPUTAT  
ET  
PRAELECTIONES SUAS PROPEDIEM INCIPIENDAS  
INDICIT  
JOANNES FRIDERICUS GILDEMEISTER,  
J. V. D. & in Acad. quae Teutoburgi ad Rhenum est  
P. P. O.



Teutoburgi ad Rhenum,  
apud Fratres Helwing MDCCLXXVII.

